

zani in illos de Belingeriis (3). Eodem anno quinto calendas novembris Alexandrini in foedus cum Marchionibus Ripaltæ, vallis Burmidæ, Bonacio, Anselmo Garzino, Nicolao, Petro filiis Guidonis Garzini coiverunt. Consulatum Alexandriae exercebant Obertus Spandonarius, Ruffinus Garibaldus, Ganducius, Armanus Saccus, Rubaldus Guerra, Gilius Giarola, Manfredus Valentia, Obertus Moitius, Opizo Siraneus, Armanus Murus, & Anfusus Trazonus ea conditione, ut Marchiones memorati duas perticas fossæ civitatis Alexandriae conficerent (4). Eodem anno cum orta esset quædam discordia inter homines Petræ-Mariatiorum vici sane antiqui, & cives Alexandriae, conventum fuit tertio decimo calendas septembris, ut indigenæ patriæ jus peterent ab Alexandrino Præatore; idque intercedente Guidone de s. Nazario beneficiario dicti loci (5). Eodem anno cum nondum Alexandria esset muro, fossaque cincta, cives enitebantur, ut primo quoque tempore hæc perficerentur; quare homines ab Urbe vico, qui nunc omnino destructus est, & quem Alexandria in jus suum receperat, solemnī stipulatione intercedente, promiserunt quatuor perticas fossæ, & muri suis expensis condere (6). Eodem anno tertio calendas novembris, qui fuit Alexandriae reipublicæ satis foecundus, cum adhuc inimicitia exercebatur adversus Marchiones Montisferrati, Astenses ad hoc legato Alberto eorum Præatore, Alexandrini Vermo Præatore in Ecclesia s. Agathæ Vuiliarnm conveniunt bellum & suscipere, & gerere communibus armis contra Marchionem Montisferrati. Aderant cum jam dicto Præatore Alexandriae Obertus Fantinus, Bonifacius Inverardus, Petrus Canefrus, Theobaldus Guafonus, Vermus Pellatus, Albertus de Quingentis, Bonellus, Iacobus Polvera, Vermus Afinarius, Vermus Lanzavetula, Johannes Guafcus, Samuel Rubeus, Balduinus Bassianus, Ubertus Natta, Nicolaus, & Ubertus de Foro, Ruffinus Scaccavellus, Balduinus de Turre, Stephanus Judex, & pro Astensibus permulti nobiles, & ipsi dictæ civitatis (7).

(1) Est in par. n. 76. col. 92.

(2) Vide ibi.

(3) Est apud Schiav. h. a.

(4) Hoc documentum vide par. I. n. 77. col. 93.

(5) Est in ann. Schiav.

(6) Describitur par. I. n. 79. col. 95. Schiavina ad ann. 1192. collocavit.

(7) Est in part. 1. num. 93. col. 107. sub ann. 1197., ad quem vere pertinet hoc documentum, ut notæ Chronologicae suadent; minime vero, ut hic autor putat ad ann. 1191.

MCLXXXII. Die vigesimo quarto Februarii Genuenses cernentes maxima auxilia ab Alexandrinis accepisse, pluraque in se ab illis allata beneficia, ut aliqua liberalitate gratitudinem ostenderent, Alexandrinos immunes reddiderunt a Portorio, quod exigitur ad portam civitatis Genuæ, Manfredo de Foro, & Theobaldo causidico Alexandriae consulibus. Eodem anno cum Genuenses prælati nonnulla castra haberent cis jugum, quæ tueri vix possent, convenerunt solemniter cum Alexandrinis, ut isti castrum Gavii cum curia, Montaudum,

Amelium, Taxarolum, & Pastoranam tutarentur. Eodem anno die decimo quinto maii iurisdicatio, & castrum Belmontis reipublicæ Alexandriae donata fuerunt, Bonello Rubeo pro republica sua accipiente (1).

(1) Est in Schiavinæ annalibus, & par. 1. n. 83. col. 99.

MCLXXXIII. Cum Marchiones Montisferrati faces illas odii, quibus soli ardebant, adhuc non restinxissent, Federico Imperatore, & mox Henrico ejus filio foventibus, ut essent, qui tamquam perpetui hostes Alexandrinorum gloriæ detraherent, nunc in beneficium acceperunt castra quædam, quæ juris reipublicæ Alexandriae essent (1); & adhuc iisdem agitentur fortunis Alexandria reipublica, ut aperte probaret se non passuram has clandestinas oppugnationes, Casale s. Evassu manu armata invadi a cohortibus suis iussit, quod cum successisset, sed pauci adversus multos pugnant, præsertim cum integri Casalenses fessis, & sauciis succederent, contenti deprædatione sola se Alexandria incolomes receperunt.

(1) Diploma Bonifacio datum retuli par. 1. num. 86. col. 101.

MCLXXXVII. G. Ilielmo Pusterla cive Mediolanensi Præturam gerente obiit in Apulia Henricus Imperator, qui vix annos sex Federico patri supervixit, infensus & ipse Alexandrinorum nomini. Post ejus mortem die trigesima septembris secutam, urbs nostra illico Casareæ relicto nomine primævum, & originalem Alexandriae iterum lætenter assumpsit, quo etiam hodierna die undique dignoscitur, & appellatur.

MCLXXXVIII. Die decimo quinto aprilis Astenses donaverunt castrum Castagnolæ Alexandriae reipublicæ Jacobo de Brixia prætoris Alexandriae Vicario, ea adjecta conditione, ut nullum foedus, nullamve amicitiam Alexandrini cum Marchione Federico Lanza contraherent, neve Astensibus adversarentur; quod tandem per aliquot annos servatum est, sed irritum post fuit (1). Eodem anno cum Marchiones Montisferrati vicinos quoque persequi non desisterent, Marchiones Occimiani Anselmus, Vermus, Monachus, Canai, & Corradus fratres, qui ab illis male tractabantur, ut Alexandrinos in amicitiam pellicerent, insignem quamdam largitionem omnibus ætatibus memorandam fecerunt reipublicæ Alexandriae, medietatem villæ, & castri Peraschi, Videsonii, Trexobii, Alicis, & Barberii, s. Salvatoris, ac oppidi Vignalis, omneque insuper jus, quod illi ultra Tanarum haberent hac conditione, ut populus Alexandrinus illis auxilio esset contra Montisferrati Marchiones, ab illorumque insidiis tutaretur, quodque unum ex dictis Occimiani Marchionibus annuatim in consulem deligerent eo tempore, quo reliquos Alexandriae consules renuntiarent (2).

(1) Vide illud par. 1. n. 97. col. 112.

(2) Vide in par. 1. doc. 100. col. 114.

MCLXXXIX. Die quarto aprilis, cum variis bellis pene attriti Marchiones Montisferrati essent, cum Alexandrinis compromissum fecerunt apud ripas Padi, haud longe a Pontestura in legatos Mediola-